



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. CI. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, &c. Carm. gen. 5.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Nomen beatum gentibus:  
 Nam benignitas Dei,  
 Et in suos clementia,  
 Clausa nullo est termino:  
 Et firma stat pactis fides.  
 Posterorum posteris  
 In sempiterna sæcula.

PSAL. CI. *Misericordiam & iudicium can-  
 tabo tibi Domine, &c. Carm gen. 5.*

**T**E salus rerum cano, qui precanti  
 Lenis irarum es, facilisq; flecti,  
 Impiorum idem tetricus rebelles  
 Frangere fastus.

Huc meæ uires uigilant, labores  
 Huc ferent omnes, opis in tuæ spem  
 Sæmper ut castis domus institutis  
 Culta nitefcatur.

Si salutarem mihi tu serenus  
 Porrigis dextram, tibi corde puro  
 Seruiam, fraudum scelerisq; pura  
 Seruiet aula.

Nec mihi exemplum statuam sequendum,  
 Litibus si quis miseros iniquis  
 Vexet, aut causam tenuis clientis  
 Prodidit hosti.

Sponte qui prauis studijs inhæret,  
 Sit procul: sæui sceleris minister  
 Candidos nunquam mihi censeatur  
 Inter amicos.

Quis-

Quisquis incautum lacerat sodalem,  
 Clam uenenato iaculatus ictu,  
 Persequar, plectam penitusq3 ab ima  
 Stirpereuellam.

Nec meæ menfæ dapibus fruetur  
 Mentis elatæ tumor, arrogansq3  
 Vultus, & cunctos ueluti minores  
 Lumine spernens.

Veritas simplex quibus est amori,  
 Hos amo, amplector, uideo libenter:  
 His mihi seros socijs senectus  
 Impleat annos.

Integer uitæ mihi sit minister:  
 Tecta non intret mea fraudulentus:  
 Nemo mecum intra mea commoretur  
 Limina mendax.

Impios longè (mora nulla) terræ  
 Finibus pellam: procul omne monstrum  
 Ciuitas sancta ut Domini releget  
 Flagitiorum.

PSAL. CII. Domine exaudi orationem meam: &c. Carm. gen. 13.

**E**Xaudi genitor sancte meas preces,  
 Clamorisq3 sonum percipe lugubris:  
 Neu uultum misero subtrahe, cladibus  
 Omni ex parte prementibus.  
 Aures supplicijs nunc adhibe meis:  
 Da uotis facilem te, pater optime,  
 Et presso celerem porrige dexteram,  
 Et